

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Hermann Becker


**Monumentum Viri Illustris Atque Consultissimi Domini Matth. Benoni Heringii L.
L. Doct. Et Codicis Prof. ... Piis Exequiis D. [] Jan. A.O.R. MDCCL. Celebrandis
Dicatum Ac Consecratum A Facultate Iuridica**

Rostochii: Adler, 1750


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn83819916X>

Druck Freier  Zugang





YR
Kl. — 37.^{1-22.} (1.)



13

MONUMENTVM
VIRI
ILLVSTRIS ATQVE CONSULTISSIMI
DOMINI
MATTH. BENONI
HERINGII,

L. L. DOCT. ET CODICIS PROF. DVC. PVBL.
ORDIN. CONCIL. CELEB. ATQVE CONSIST.
ECCLES. DVC. CONSIL. GRAVISS.

PIIS EXEQVIIS

D. IAN. A. O. R. MDCCCL.
CELEBRANDIS

DICATVM AC CONSECRATVM


A
FACVLTATE IVRIDICA

INTERPRETE
HERMANNO BECKER
LL. D. ET INSTIT. PROF. PVBL. SENAT. ORD.
HODIE FAC. DEC.
ATQVE ACAD. PRO-RECTOR.



ROSTOCHII,

Typis J. J. ADLERİ, SEREN. PRINC. AVL. ET ACAD. TYPOGR.





Non academia solum nostra luget mortem Viri illustris atque consultissimi b. MATTHIAE BENONIS HERINGI, codicis Prof. Duc. Publ. Ord. atque Sereniss. nostro Principi a consiliis ecclesiasticis, sed & præcipue facultas nostra iuridica maximo cum dolore deplorat rogum huius antecessoris celeberrimi, atque collegae nostri exoptatissimi. Sensu doloris quidem acerbissimo, sed tamen debita cum pietate, ad iussum collegii nostri, monumentis hisce consecrare cupio memoriam Viri illustris, quem tanquam praceptorum, fautorum, collegam atque amicum colere, & reverentiæ ac pietatis, & amicitiae ac gratitudinis mihi iniungunt leges. Iustum, immo iustissimum hunc sentiunt dolorem & ceteri, & nostrates, quibus cum nomine huius Viri illustris, simul de meritis eius circa rem publicam tam ciuilem, quam litterariam constat. Brunnemanno enim, celebri illi ICtorum antefigno, & vero iustitiæ sacerdoti, si laudi honorique ducitur, quando sub Pii nomine eum ad legendum atque noscunt, qui themidis sacra colunt, nullus quoque profecto dubito, quin b. nostrum HERINGIVM, verum Christiani characterem diagnosticum in vita ac moribus, faniorem ac profundam aequitatis culturam in applicatione iuris, ac solidam denique & masculam eruditionem in legum interpretatione, cum strenuo ICti & antecessoris officio semper iungentem ac coniungentem, hoc ICti Pii nomine adpellam. Mirantur forsitan quidam, hasce plagulas perlustrantes, hoc cognomen Viro Illustri a me impositum, in mentem quippe reuocantes dubium ac odiosum magis, quam laudabilem illius significatum, quem veri historiae imperii perscrutatores ex imperatorum quorundam denominatione, a scriptoribus monasticis adhibita, deducunt. &

A 2

maxi-

maxima cum ratione deducere possunt. Sed sciant quoque volo, atque perpendant, non tollere abusum cuiusdam vocis, verum eius ac adæquatum vsum. Sobolet plerumque, quod minime gentium nego, cognomen Pii Imperatoris, a scriptoribus monasticis adhibitum, caraetorem quendam reipublicae ac imperio, eiusque iuribus maiestaticis maxime noxiom. Longe autem alio, immo contrarie fere opposito in sensu ICTis venit huius denominationis significatus, quo indigitare student iustitiae antistitem, qui in administrandis illius sacris & reipublicae & ecclesiae cuique suum tribuit, ac in adplicanda rigida nonnunquam legum dispositione, aequitatis semper rationem respicit, probe gnarus, summum ius summam saepe esse iniuriam, nisi in applicatione eius, strenue obseruato aequitatis temperamento haut abstrahatur a cuiuslibet iustiori petitione (a). Hinc pium vocamus ICTum, qui in omnibus suis negotiis probe considerat regulam illam sancte colendam, quod timor domini, ac vera erga summum numen pietas, omnis sit sapientiae initium, quodque huius pietatis vera & haud fucata cultura non in externo tantum huius numinis cultu, sed in colendis potius, immo sancte colendis, omnibus ac singulis diuinis praceptis consistat. Pium hinc adpellamus ICTum, qui hisce motiuis ductus, in omnibus suis negotiis expediendis & agenda & omittenda omnia ad diuinae voluntatis normam reducens, actiones suas summi numinis praceptis conformare studet, ac sollicite curat. Immo, vt breuibus nos expediamus, pium vocamus ICTum, qui in prudentia sua iuridica tam legislatoria, quam consultatrice, & iudicali, motiua actionum ex perfectionibus desumere contendit diuinis. Hinc pius ille ICTus in consiliis principi, rempublicam legibus ornaturo, suppeditandis maximam, ac veram reipublicae felicitatem, summa cum industria perscrutatam, indefessoque studio ponderatam, probe attendit, ac in perscrutanda illa, ac determinanda semper considerat, rempublicam atque ecclesiam ita indiuulso nexu esse concatenatam, vt vnius salus sine alterius conseruatione, ac protectione debita, mox labefactura sit, ac ad interitum ruere debeat (b). Prospicit ergo reipublicae, sed ita prospicit, ne obliuiscatur ecclesiae, quae religionem colit, & verum Dei, ac attributis eius consentaneum cultum, tam internum, quam externum, pro scopo habet. Non autem legislatoria solum iurisprudentia, sed & θυλεύτική, seu consultatrix, admittit pietatem a pio ICto obseruandam. Consistit hæc iurisprudentiæ pars, monente Heineccio (c) in scientia nimium iuris ciuilis rigorem, inuentis quibusdam effugiis, euitandi, vel ius illud subtilius sine cauillatione inflectendi ad aequitatem, ac denique eas in negotiis omnibus inueniendi cautions, quibus ciues ab ingeniosa aliorum improbitate, ac calumnia tuti praestantur. Sicuti enim, vt verbis iterum vtar illustris Heineccii (d) ea quae ad mores & vitas morta-

(a) Conf. omnia haec doce expon. Kressius de summo iure summa iniuria.

(b) vid. Georg. God. Keuffel, in element. iurispr. eccl. vniuers. L. I. Cap. 3. §. 6. ¶ 7. ibique cit. Grot. de imp. summ. pot. circa sacra.

(c) in praefat. ad Sam. Stryckii caut. contr. p. 5.

(d) id. l. cit. p. 7. inf.

mortalium pertinent, non ita veluti in puncto consistunt, vt non aliquam
admittant latitudinem, & vel vna, quae in factum incidit; circumstan-
tia, rem ipsam non plane mutasse videatur. Ita quoque legibus adcer-
tas regulas vniuersales reuocatis fieri non potest, quin aliquando in foro
incident casus, vbi regulae inhaereret salua aequitate non potest, atque
adeo idem contingit, quod dixit Menander:

Nimis qui inhaeret legibus,
parum quidem a calumniante discrepat.

Hanc propter rationem officium pii JCti in eo consistit, vt circa hanc
primam iurisprudentiae consultatoriae partem exemplum imitari stu-
deat C. Aquili Galli, a Cicerone maxime laudati (e) quod iuris civilis
rationem numquam ab aequitate seiunxissit, & ne quis in leges tanquam
laqueos incideret, consilia suppeditasset ac remedia, ita tamen compara-
ta, ne saluis verbis legis eius sententiam circumueniat. Vtique enim
in casu, tam rigorem iuris stricte colendo, quam leges per cuniculos
quasi, & cauillationes subruendo, contra legem agit, (f) & contra pie-
tatem agit iuridicam, qui in iure cauere, & consilio iuuare studet. Nec
minori ratione, quod alteram partem huius iurisprudentiae consultatri-
cis, quam in sensu specialiori cautelarem vocare solent, & in scientia
consistit negotia iuridica caute explicandi, ne damnum ex illis quoddam
immineat, aut actus fieret inutilis, aut denique ea peracturus, ab aliis,
cum quibus res est, circumscribatur, ac capiatur, consistit (g) ad ve-
ram JCti pietatem colendam referimus, vt sine intentione alteri da-
mnum inferendi, in cauendo, & damno ex actu quodam iuridico su-
cepto forsan imminente avertendo, a fraudibus abstineat, ac machina-
tionibus, ad decipiendum alterum excogitatis, & euitare studeat errorem
illum pragmaticum, a pragmaticis licet ICtis, referente eodem illo Hei-
neccio (h) adhibitum, qui non cautiones, sicuti verba laudati auctoris
sonant, sed cauillationes & fraudes commenti sunt, easque nouis veluti
fraudibus, ne perpluerent scilicet, texerunt, parum solliciti, honesta at-
que aequa escent, quae suaderent, an turpia atque iniquissima. Dolus,
an virtus, quis in hoste requirat?

In pio denique etiam desideramus ICto, vt quoad iudiciariam iurispruden-
tiā binis nobis expediamus, quod in applicatione legum ad facta in foro
obuenientia, satis ac caute perpensis determinationibus actionum tam in-
trinsicis, quam extrinsicis, nullo vnuquam mortalium affectu abreptus, &
secundum legislatoris sacrum monitum (i) ita ne distrahitur ab ullius per-
sonae iustiori petitione, ad tenorem legum, per regulas hermeneutico-iuri-
dicas rite determinatum, casum fibi propositum decidere, constanti ac
B perpe-

(e) in Bruto cap. 42. vt & in orat. pro A. Caecin. cap. 23.

(f) L. 29. D. de LL.

(g) Heincc. l. c. p. 16. seqq.

(h) id. l. c. p. 21. & 22. add. Stryck, in caut. contr. S. I. cap. I. §. 7.

(i) L. 31. §. I. D. depos.

perpetua studeat voluntate, & ita veram, ac haut fucatam aequi bonique artem colat. Quo maiorem ergo meretur laudem talis veri iustitiae antistitis character, quo rariora eius existunt exempla, eo maiori quoque pretio aestimandi sunt viri, qui inculpabili, & ab omni reprehensione alieno curriculo vitae, hoc nomine dignos se reddunt. Debita & maxima sequitur laus illum, qui sine omni errore hanc arduam premit iustitiae viam, & existimationem illis debitam nullus temporis lapsus extinguere valet. Laudatur ante omnes, qui promeruerit tale pii ICti nomen, supra iam laudatus Brunnemannus, Antecessor olim maximi nominis. Iusta autem ac sufficienti ratione illi adiungere possum, b. nostrum Collegam, Virum Illustrēm atque Consultissimum M A T T H I A M B E N O N I H E R I N G, Antecessorem & ICtum longe celeberrimum. Testatur iam ac docet programma Academicum, quod satis est, b. nostri defuncti veram, ac haut fucatam pietatem, & dexteritatem. Fidem huic testimonio, & omnibus numeris absolutum suffragium iungit tota nostra civitas, & litteraria, & vrbica. Firmat & confirmat hoc consensus omnium cordatorum, quibus beatus noster Vir Illustris innotuit. Et maximum hisce meis dictis denique addit calculum, quae primo omnium nominanda erat, Serenissimi nostri principis ac Ducis Regnantis singularis ac euidens clementia, cuius b. nostro defuncto tam ante, quam in ipso morbo, & ingrauescente aduersa valetudine, eximia[dare] ac dicare specimina, clementissime decreuit. Clementia inquam principis nostri sapientissimi, qui tanquam exoptatissimus patriae pater erga quosuis licet propitius, optimam tamen semper, & tanto principe dignam, in eligendis personis sua clementia dignis, instituit ac determinat electionem. Nec quemquam hinc fore, idque merito, iudico, qui reprehendat acerbū dolorem, publicumque luctum, quem in hisce monumentis b. nostro Collegae sacrum testari cupiunt omnia ac singula nostrae facultatis membra. De meritis enim maximis huius nostri b. Antecessoris, de profunda ac solida eius eruditione, de indefesso illius ardore ad promouendam aliorum & reipublicae veram felicitatem, optimum nostrum testimonium, propria & quotidiana experientia edocti, addere pectore possumus sincero publicis illis documentis, quae ex toto huius b. defuncti vitae curriculo eluent. Adducamus pauca quaedam horum specimina, missis illis, quibus iam programma academicum occupatum est. Sic enim hicce Vir Illustris atque Consultissimus peractis feliciter, partim manuductione Illustris quondam apud nos Antecessoris b. Iacobi Carmonii, partim propriis lucubrationibus, ac haut interruptis vigiliis, studiis iuridicis, anno 1728. die 23. Mart., sub Decanatu Illustr: sui praceptoris iam memorati, nomen dabat facultati nostrae, ac ad examen rigorosum se fistebat, quo strenue sustento, & cum maximo applausu exantlato, uti propria sua manu maxima cum laude annotatum reliquit Decanus in scriniis nostrae facultatis, tempus consumebat in elaboranda sua dissertatione inaugurali, infra adhuc alleganda. Mox quoque illam solide ac docte elaboratam sub praefidio eiusdem Illustris Decani die 7. Jul. 1729. publico eruditorum examini in auditorio nostro subiiciebat, &, uti ex propriis

propriis iterum Illustris Decani annotatis, ipsissimisque eius verbis adducere licet, eam in frequentiori conuentu contra dubia obmota, per horas tam ante, quam pomeridianas, masculine, & maximo totius auditorii cum applausu defendebat. Docet iam satis primum hoc academicum specimen, orthodoxiam ICtorum pertractans, profundam ac orthodoxam Viri b. defuncti eruditionem, ac LL. scientiam. Nondum tamen propter varias concurrentes circumstantias e re sua ducebat, statim maximos capessere academicos honores, sed & practicis & academicis laboribus occupatus, eo dignorem illis se reddebat, donec tandem sub Decanatu iterum Illustris Carmonii die 9. Novembr. 1730. thiaram fuscipere decernebat doctoralem. Statim autem, ea accepta, per praelectiones suas academicas se preparabat, ac dignum fistebat, qui aliquando publico fungeretur Antecessoris huius academie munere. Testantur de maxima eius industria, & indefessis academicis laboribus tam publicae praelectiones iuridicae theoreticae, summo cum applausu institutae, quam manuductiones practicae priuatae, quas instantibus nonnullis amicis, dexteritati & eruditioni Viri b. defuncti se, studiaque sua committentibus, dabat ac porrigebat. Concatenato autem nexu praemia sequuntur virtutes, & labor ac industria haut sine exoptato fine manet. Studia qui strenue colit, solidamque sibi adquirit eruditionem, etiam exula patria veram inuenit patriam, quae indefessos labores meritis coronat honoribus. Exemplum sat eidens nobis fistunt fata b. nostri HERINGII, qui a Serenissimo Principe ac Domino, Domino CAROLO LEO-POLDO p. ac glor. mem. die 15. Iul. anno 1733. palmas industriae ac eruditionis adcepit, vacante tunc temporis professione ordinaria conciliari Ducali Codicis clementissime illi delata. Recenset iam programma academicum singulare circa hanc denominationem obuenientia, ita ut illis pro praesenti supersedere possim. Conuicti iam erant omnia tunc temporis & academie & facultatis membra de dexteritate, eruditione, solertia & virtute b. nostri HERINGII, quo fiebat, vt singuli ac omnes de Collega hoc exoptatissimo sibi gratularentur, & ambabus, quod aiunt, manibus, facta iam receptione in facultatem die 25 Iul. 1733, praestitaque oratione auspicatoria, in numerum professorum ac adsefforum reverendi Concilii die 31 Iul. e. a. eum reciperent. Pertractabat, ipso nostro beato in scriniis priuatis adnotante, propter certas quasdam tunc temporis concurrentes circumstantias, in hacce oratione auspicatoria thema, de inimicitiis non imputandis, licet alias iam meditationes eidem destinauisset. In ipso hoc academico munere Vir illustris b. defunctus totus se mancipabat academie, ac commodo eorum & institutioni, qui nomina sua dabant castris iustitiae, missis in totum iam occupationibus practicis, vt eo melius, eoque accuratori cura spartae sibi demandatae vacare posset. Adeant quaequo testes innumeros adhuc viuos, qui de soliditate, perspicuitate, modestia, & eruditione, a Viro Illustri in praelectionibus suis iuridicis, cuiuslibet generis, exhibita, certiores esse cupiunt. Sufficiat mihi pro praesenti scopo, debitam huic meo Gamalieli publice persolvere me posse pietatem, ac gratum animum pro fidi manuductione

ad verum iurisprudentiae tramitem mihi præstata. Non autem ad testimoniū solum eorum, qui praelectionibus V.I. iam b. defuncti interfuerunt, prouocare possum, ad probandam doctam, solidam, & profundam eius eruditionem, sed & tot publica eiusdem exstant documenta in scriptis & elaboratis publici iuris factis, quibus sicuti per praelectiones studiosae huius nostrae académiae iuventutis, ita & totius orbis erudit commodo inseruit, meritosque sibi parauit honores. Officium Viro Illustri b. defuncto debitum exigit a nobis recensionem omnium horum laborum academicorum. Et sic inter eos primo loco obueniunt.

Dissertationes.

Quarum plures ipse elaborauit, alias tamen tanquam praeses atque moderator pro more suo, hoc est, per quam masculine ac eleganter defendit, atque direxit. Pertinet ad eas

1) opusculum illud inaugurate, a Viro Illustri pro capeſſendis summis in iure honoribus elaboratum, & die 7 Jul. 1729. sub praefidio b. Carmonii, Antecessoris quondam nostri celeberrimi masculine defensum, de *Orthodoxia J^{esu}Ctorum*, quo Vir b. defunctus verum ac strenuum orthodoxum J^{esu}Ctum se demonstrat, & sententias quasdam in analogia iuris fundatas, contra opiniones DD. quorundam strenue defendit, legibusque adlegatis concinne probat. Sequitur

2) diff. academica, *de inimicitis iudici non imputandis*, die 5 Mart. 1735. Resp. Matthaeo Alberto Block, Hamburg. habita. Mox hanc d. 30 Octobr. 1736. excipiebat

3) eiusdem Respond. & Candidati dissertatio inauguralis, *de casu fortuito a depositario praestando, occasione iuris statutarii Hamburgensis, Part. III. tit. 3. art. 4.* Iam

4) anno 1737. d. 7. Aug. diff. de inimicit. iud. non imput. tanquam continuationem adiecit alteram, *de inimicitis actori, reo, & aduocato non imputandis*, Resp. Georg Eberh. Wehnero, Buxtehudo-Bremens. Recensentur omnes hae pertractiones academicae maxima cum laude in bibliotheca Lippenio-Ienichiana, vbi praecipue hanc ultimam auctor, veritate consentiente, vocat opusculum lectu dignum. Sequenti anno

5) 1738. die 6 Maii in dissertatione inaugurali Domini Cand. atque Respond. Hieron. Hartw. Mulleri, Hamb. enucleauit materiam *de munere tutelari haut gratuito, ex iure statutario Hamburgensi: Part. III. tit. 6. art. 20.* In qua dissertatione, quod argumento suo satisficerit auctor, ipse iudicat Dn. Ienichen in supplementis. Aliquo spatio intercedente iam an. 1741.

6) mense Maio sequebatur Georgii Christoph. Schotteri, Rostoch. dissertatio inauguralis *de retentione in deposito licita*, quam egregiam vocare, cum iam laudato Ienichio, nulli dubitamus. Quam in eodem anno 7) d.

7) d. 17. Aug. excipiebat mea inauguralis dissertatio *de prodigo felici in materia de fructuum restitutione*, de qua iudicent alii, an placeat, an dispiceat. Post biennium interiectum

8) anno 1744. d. 27. Aug. Resp. & Cand. Joh. Mich. Sprengel, Gedanensi in diff. iterum inaugurali pertractabat thema *de iudice ecclesiastico, secundum tit. V. Ord. Consistor. Megap. ad litigantium sumitus, tam in genere, quam in specie minuendos, obligato.* Subsequenti anno 1745. publici iuris factae sunt duae dissertationes inaugurales summo cum studio elaboratae altera,

9.) d. 3. Ian. Resp. & Cand. Ioach. Petro Lehmann Rostoch, *de non admittendo, post usum articulorum positionalium, iure iurando judiciali altera.*

10.) d. 30. Sept. Resp. & Cand. Isaac Ioach. Weber, *de retentione in securitatem dotis permissa.* Simili modo & in sequenti anno 1746. d. 4. Oct. duae aliae hasce excipiebant.

11) partim Resp. & Cand. Ioh. Petro Zander Megapol, *de remissione conductori, ob luem pecorum graffantem, concedenda: &*

12.) partim Resp. & Candid. Valent. Gabr. Borchert Megapol. *de computanda legitima matris, in concursu cum germanis praeteritis.* Denique ultima agmen claudit dissertatio inauguralis.

13.) 1749. d. 23 Sept. *de iudice ad examen testium in perpetuam rei memoriam, adpellatione interposita, competente, quam non obstante licet maxime iam aduersa corporis valetudine Resp. & Cand. Ioh. Schnelle, Suerin. tanquam praeses in auditorio ventilavit noster Vir iam, proh dolor! b. defunctus.* Praeter hasce autem elaborationes academicas iamiam ad ductas, & alia eruditionis ac industriae exstant specimina partim edita, partim inedita. Mox enim tanquam Academiae Rector, quod officium quatuor vicibus suscipiebat, mox tanquam decanus, qua sparta nouies fungebatur, mox tanquam Procancellarius orationes habuit, & programmata conscripsit de materiis summa cum ratione semper electis. Sic enim, quod ad publicas attinet

Orationes.

1.) statim sub auspiciis publici Professoris officii d. 30. Jul. 1733. disserebat *de inimicitius non imputandis.* Eodemque anno

2) natales Sereniss. Ducis regnantis CAROLI LEOPOLDI p. & gl. mem. celebrabat publico panegyrico: *de recreationibus principum.*

3.) anno 1734. d. 17. Jun. tanquam Procancellarius in actu promotionis Dominor. DD. Eggerdes, Rostoch, & Lindenbergii, Lubecens. materiam pertractabat *de neutralitate.*

C

4) anno

¶ 10 ¶

4.) anno 1736. d. 20. Mart. iterum tanquam Procancell. in actu promotionis Domini D. Dorn. Megapol. *de iure erigendi academias*, verba faciebat.

5.) Eodemque anno d. 30 Octobr. tanquam Promotor & Brabeuta Domini Licent. Blocken Hamb. quæstionem enucleabat, *quisnam in deposito judiciali casum fortuitum ferendum habeat*.

6.) anno 1737., quo prima vice Rectoris officio fungebatur, *de felicitate Rectoratus in actu primo, non autem secundo*, &

7.) anno 1738. d. 6. Maii tanquam Promotor Hieron. Hartw. Möllers, Hamb. *de differentia tutelarum inter summos imperantes & privatos*, differebat

8.) anno 1740. d. 20. Sept. in actu promotionis denuo Promotor, propter absentiam vnius Candidati, qui habita iamiam sua diff. inaugurali absens erat, *absentiam promouendi honorificam deducebat*. Eodem modo

9.) anno 1741. d. 2. Maii tanquam Decanus & Promotor Georg. Christoph. Schotteri *ius retinendi titulum post depositum officium pertractabat*. Et

10.) anno 1743. secunda vice ad Rectoris munus vocatus, *de rectore in regimine rectorali sine ratione sufficiente haut procedente*, meditationes suas aperiebat.

11.) In actu promotionis D. Ioh. Mich. Sprengels Gedanens. Promotor d. 27. Aug. anno 1744. *d distinctionem inter ius circa sacra & iurisdictionem ecclesiasticam in specie sic dictam interpretabatur*. Anno 1745

12.) autem d. 30. Sept. in actu promotionis D. Weberi *ius retentonis marito, ad consequendas impensas in res dotaes factas, compe:ens*, enucleabat. Anno 1746.

13.) d. 26. Apr. quo tertia vice suscipiebat fasces Rectorales, in oratione inaugurali *Rectoris patientiam sapienter temperandam enucleabat*, eodemque anno

14.) d. 4. Octobr. in vno eodemque actu promotionis simul Pro cancellarius atque Decanus, quæstionem explicabat, *an quis in actu promotionis duplex officium sustinere possit?* Ingrauescente autem denique iamiam pectoris infirmitate, & deficiente corporis robore

15.) anno 1749. d. 29. Apr. extra ordinem ad officium Pro Rectoris vocatus, breuibus solum loco orationis auspicatoriae, *de obligatione ad munera publica etiam coacte suscipienda*, & in actu promotionis ultimo,

16.)

¶) II (¶

16.) de 23. Sept. de iudice limites officii intuitu competentiae exce-
dente verba faciebat. De coetero autem officia publica, a Serenissimo
Principe viro b. defuncto clementissime demandata, aliaque negotia
perplura illi impedimento fuerunt, quo minus ipse.

Programmata

in suis officiis publicis obuenientia elaboraret, praeterquam quod

1.) in anno 1743. Viro illustri atque consultissimo Domino Iacobo
Carmon, antecessori huius nostrae academie famigeratissimo & Sere-
nissimo Principi Megapolit. a consiliis ecclesiasticis monumentum ex-
strueret debitum, & anno praecedenti

2.) in festo pentecostali, de obsignatione spiritus sancti, ac denique

3.) in festo Michaelis, de criminis laesae maiestatis mediate in angelos
commisso, meditationes suas proprias daret. Tanta huius Viri illustris
b. nostri HERINGII dexteritas atque solertia, tot tantaque profunda
eruditio specimina, talis semper strenue adhibita virtutis cultura, non
potuit non efficere, quin illi maximam Serenissimorum Principum
nostrorum pararet clementiam, ac famam vindicaret optimam ac celebra-
tissimam. De illa eo eminentiora existant exempla, quo maiori pietate,
moestissima vidua, Serenissimi Principis nostri clementissimum fauorem,
b. nostro defuncto durante ultimo morbo testificatum, praedicat ac vene-
ratur. Huius autem extans dat exemplum vocatio illa publica, qua b.
nostro defuncto anno 1746. professoris iuris publicum in Academia Tu-
bigensi deferebatur officium. Sed fides Serenissimis Principibus nostris
stipulata, amor & gratus animus, quem erga nostram musarum sedem
sancte fouebat, & imbecillitas denique corporis, quae iam per annos
defatigabat Virum illustrem, eum determinabat, quo minus hanc fibi
delatam fusciperet spartam. Abstineo iam a recensione aliarum dignita-
tum atque officiorum publicorum maximi ponderis, a Serenissimo Prin-
cipe huic nostro beate defuncto demandatorum, cum iam programma
academicum eorum recensione occupatum. Mitto historiam morbi &
sanctam ac piam ad mortem imminentem praeparationem, ne dicta
dicerem. Et sufficiat mihi hoc vnicum addere, quod omnia Viri illustris
merita, maximis laudibus digna, comprehendit, quod rite ac strenue
fungendo suo officio, promouendo & reipublicae & academiae commodo,
sancte colendo iustitiam, & aliorum commodis inferuiendo, vitam con-
sumserit suam, ac ad nutum summi numinis, libenter ac lubenter ani-
mam suam merito Christi, saluatoris nostri, redemptam, restituerit crea-
tori, a quo accepit d. Xlll. Ian h. a. Hunc diem supremum huius Viri
illustris, antecessoris celeberrimi ac famigeratissimi, collegae dulcissimi
ac maxime cari, mariti exoptatissimi, & amici praestantissimi, luget
nostra musarum sedes, aegro fert animo nostra facultas, moerore lace-
rata deplorat illustris vidua, & dolent omnes cordatiiores. Et quisnam,

C 2

quaeso,

¶ 12 (¶

quaeso, iustissimum hunc dolorem reprehenderet, cui ex supra deductis de pietate, dexteritate, eruditione, solertia, & vt paucis omnia dicam, virtute huius Viri illustris constat. In renumerationem quidem virtutis perpetua iamiam Vir illustris fruitur cum coelestibus quiete, perpetuisseque adficitur gaudiis, sed nobis moestissima manet memoria huius Viri, perpetua memoria per quam digni, nisi quod virtus eius maximis in rem publicam meritis illustrata, famam & gloriam producat perennem, ita ut maneat

MEMORIA.


H V I V S. I V S T I.

IN
BENEDICTIONE.

A D.
S A E C V L A. V S Q V E.

P. P. ROSTOCHII d. 10. FEBR. A. O. R. MDCCL.
SVB SIGILLO FACULTATIS IVRIDICAE.





nomina Slavismum redoleant,
am, quod habitu, quod mo-
lavonicis omni tempore fuerint
quamdiu memoriam eorum
ri ultimam licet; quid & quod
in hac vicinia Seculo X. XI. XII.
tonismum & Christianismum
is, Principes tamen Obetrito-
erique Slavicos mores adeo per-
r retinuere, ut non nisi cum ex-
sui internecione eosdem exue-
(ii)

terum assertionis nostrae mo-
n hoc est, ut propriam utrius-
renissimorum Principum tam
e, qvam Meclenburgicæ, propa-
tatem, qva utrinq;
reeta descenditur li-
s.

itia rerum Russica-
ndem monumentis
radiderunt, mentio-
Cl cuiusdam Princi-
uctor prohibetur to-
Russicæ, à qvo &
es five Cæsares, pe-
suo Czaari appella-

A. C. circiter
turbulentus ibi re-
è gente Varegorum
ia cum duobus fra-
vore accersitus tra-
pcerum Russorum
lendam Remp. mul-
idiis laceratam &
flixtam. Horum
orum arbitrio ac po-
ubmississet Senatus
rum, factum est,
natu minoribus pau-
role demorientibus,

ses auch so gar daher wahrscheinlich/ weil
sie in alten Zeiten fast lauter Slavische
oder Wendische Nahmen geführet/im
dar auch dergleichen Sprache und Sitt-
ten gehabt; Ja von solchem Altväteri-
schen Wesen nicht anders als mit ihrem
äussersten Ruin abzubringen gewesen/
obgleich andere benachbarte im X.
XI. XII. Seculo viel eher und leichter
Christliche Deutsche Sitten angenom-
men. (ii)

Was vors andere der Fürsten beson-
dere alte Verwandschaft mit Russland
betrifft / so kommt es ist darauff an / daß
man aus bewährten Sribenten beweise/
wie so wohl der Russische als Mecklen-
burgische hoge Fürsten-Adel von einem
Haupt-Stamme herkommen.

Denn so viele bis dahер der Russen al-
tes Wesen aus dero selben eigenen Uhr-
kunden beschrieben haben/ die gedachten
einhellig eines Russischen Fürsten / wel-
cher RURICK geheissen / von deme vor-
gegeben wird/daz er sey der Stam-Herr
des fürnehmisten Russischen Adels/ von
dem auch so gar die Gross-Fürsten und
Czaaren ihre Ahnen herleiten.

Derselbe Fürst Rurick soll um das Jahr
Christi 840. bei vorgefallenen innerliche
Reichs-troublen aus einem Varegischen
oder Wagerischen Volke samt zween Brü-
dern Sinaus und Truwor von den Russi-
schen Ständen nach Novogorod oder
Groß-Neugard u. s. w. berussen seyn/
das zerrüttete Regiment anzutreten/
und wiederum zu rechte zu bringen. Wie
sich nun die Russen solcher Wagerschen
Prinzen Gewalt unterworffen/ist es ge-
schehen/daz endlich nach Absterben des
Sinaus und Truwor, Fürst Rurick allein
übrig geblieben / sich aller Gewalt be-
mächtig-

Nahmen der Wendischen Könige und Fürsten/als Vitislaus oder Wislaff/ Miecislaus oder
Ristevos / Glaomit/ Rurich/Gostomisle/Tavomisle/Sventeploch/Gneus/Warrislass/
gleichen mehr/ sind offenbahr aus der Wendischen / zum Theil auch Russischen Stamm: Bur-
z in unsre alte Wendische Fürsten von ihrem Slawischen Wesen endlich abzubringen/ erhebe
no Bremeri, auch Alberto Crantio, it. Nicolao Merescalco.

the scale towards document

Patch Reference Chart TE263 Serial No.

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.

mm